



1. Abichtij s. Joh. Georgij / Diss de Claudio Felice, ad Act. xx. 10. u. 29. 25. Wittenb.
2. — Diss de Summa <sup>1732</sup> Ecclesie vera dignitate, Wittenb. 1739.
3. — Diss. Fortens vindictas sapientia Divinae circa Lapsum Adami, Wittenb. 1739.
4. — Diss de Lege Sabathi, Wittenb. 1721.
5. — Diss de fide Apostolorum tempore Christi in his terris degentis, Wittenb. 1735.
6. — Diss de animabus Humanis post mortem Corporis vivis, Wittenb. 1735.
7. — Diss de Immanuele ex Virgine nascituro, Lipsia 1717.
8. — Epini s. Franc. Albf Diss apologica pro genuina Lutheri versione Germanica diti Paulini Romae 1717. Rosbuchi 1732.

9. Alberti s. Valent. diff. utrum mors Christo  
Dominata fuerit. Lipsie 1688.
10. Bajer s. Joh. Dav. diff. de litterali sensu  
Ecclesiasticis II. v. 1 = 6. de Agricultura  
Altorfi 1727.
11. — diff. de pietate quaestiosa, Altorfi 1732.
12. — diff. de felicitate Ecclesiæ prope, Altorfi  
1730.
13. — diff. triumphus bonæ causæ in  
Cæco de Ecclesiâ, Altorfi
14. Bajer s. Joh. Will. diff. de variantium  
Cætonum N. S. usu, Altorfi 1712.
15. — diff. de statu pie defunctorum  
pacifico, Altorfi 1686.
16. — diff. de præjudicijs practicijs  
Christianismo noxijs, Altorfi 1717.
17. — diff. de pietate vera ex vera  
fide oriunda, Altorfi 1720.
18. — diff. de assumptione seminis  
Abrahæ, Altorfi 1693.
19. Balthasar s. Joh. Henry diff. de Augusti  
na confessione, Goyphiu. 1725.
20. Bauer s. Godofr. de Patriarum  
sanctitate, Lipsie 1726.
21. Baumgarten l. Sezim. Jod. de  
anamartiriâ Christi. Halle 1711.
22. Bebelij s. Balth. diff. de vera  
theologia Johannea, 1685.

23. Rebeli (s. Balth.) Diss. de Religionis Libertate  
in republica damnis, Argent. 1667.
24. ——— Diss. de poenitentia Casparum  
Argent. 1708.
25. Beckmann (s. Fridemann) Diss. de ex-  
tremo iudicio, Jenae 1650.
26. Beckker (s. Petri) Diss. exhibens  
miraculum solis abg Lundae ad  
Infantiam Josue B. plantatum.  
Jenae 1703.
27. Beener (s. Joh: Horn) Diss. de  
exustione mundi Suprema, Giffa  
1733.
28. ——— Diss. de Baptismo Ephes.  
rum nomine Christi e per-  
vulgata sententia Act. 18 v. 9. s.  
non interpretando, Giffa 1733.
29. ——— Specimen eloquentiae sacrae  
in sermone pauli materiam  
pietate concitati Gal. 10. v. 19. 20  
Giffa 1734.
30. ——— Diss. de existentia  
Sui et revelationis, ejusque  
criterij. Giffa 1739.

A. 25

27

DISPVATIO THEOLOGICA,  
DE  
EXTREMO IVDICIO,

GERMANICE:  
Vom Jüngsten Gerichte.

QVAM  
SVB PRÆSIDIO  
DN. FRIDEM. BECHMANNI,


S.S. THEOL. DOCTORIS EIVSDEMQUE IN INCLYTA  
SALANA PROFESSORIS PVBLICI,  
DOMINI PRÆCEPTORIS, HOSPITIS ET PATRONI  
PIIS VOTIS PROSEQVENDI,

AD DIEM IVL. CIO IOCLXXX.

IN AVDITORIO THEOLOGICO,  
PVBLICÆ VENTILATIONI SVBIICIET

AVTOR  
PAVLVS BERGMAN,

VLZA LVNEBVRG.



---

I E N A E, REC VSA PER I. B. HELLERV M, 1731.



22.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

EXTREMO IUDICIO

SEBASTIANI GÖTTSCHE

DAVID ERDMANN, BACHMANNI

IN ACADEMIA THEOLOGICA

PAULVS BERGMAN



LEW. NE. RECVSA PER T. B. HELLRUM, VII.



Decorative border consisting of a row of small, repeating floral or geometric motifs.

2. D. B. V.

PROOEMIUM.



Tilis pariter ac jucunda extremi iudicii meditatio est : jucunda quidem homini pio , qui sicut in morte & beato ex hac vita abitu habuit non laborum modo miseriarumque finem ; ita peracto hoc iudicio & latissima iudicis sententia percepta , ad gaudium ac gloriam caelestem pertingeret , ubi Deum videbit a facie ad faciem : quod vero gaudium huic comparandum ? coram Angelis , coram toto mundo , quin coram iis , à quibus nihili aestimabatur , honore summo afficietur : quæ gloria huic est anteponenda ? Utilis vero est meditatio hac omnibus dum viam ad caelos calcant . Etenim in mundo facilis error , in mundo via lubrica , in mundo totus homo in malum propendet . At vero quis mente serio pendens severum iudicium , iustum iudicem , ac irrevocabilem iudicis sententiam non à peccatis facile desistat & pietati omnibus viribus litet , & in hosce rythmos , qui Bernharδο vulgo adscribuntur , quamvis in operibus eius non reperiantur , erumpat : *Expavesco miser multum iudicis severi vultum : quem latebit nil occultum , nec manebit quid inultum . Et quis nostrum non timebit , quando iudex apparebit ? ante quem ignis ardebit , peccatores qui debebit .* Hoc experientia doctus fatetur August. lib. VI. Confess. cap. 16. Nec me , inquit ,

A 2

revoca-



revocabat a profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis & futuri iudicii, qui per varias quidem opiniones, nunquam tamen recessit de pectore meo. Atque id causæ est, cur a peccatis auditores suos deterriturus tam rigide hoc argumentum inculcet. Hisce permotus de materia præsentis, nempe de iudicio extremo, quantum quidem pro ingenii modulo fieri potest, differere, ac Theſes quasdam ad disputandum proponere statui. Faxit vero Iudex supremus & super omnia venerabilis, ut hi conatus cedant in divini sui nominis gloriam, vitæque nostræ emendationem!

## S. I.

Quamquam Christianorum vix aliquis sit, qui iudicii extremi certitudinem, verbis quidem, negaverit, ( factis enim & operibus negant plurimi ) atque omnis disputatio vana ac frustranea, parumque utilitatis habere videatur, quæ de rebus quæ neque fuerunt, neque sunt, neque etiam futuræ, instituitur, ideo puto & hic necessarium esse ante rei ipsius tractationem, iudicii hujus certitudinem paucis quidem, pro instituti ratione probatam dare.

II. Id quidem dubio caret, quo de in seqq. non posse certum annum aut anni mensem, nedum mensis diem determinari, quo iudicium hoc sit peragendum. Interim autem latente etiam die, non erit dubitandum de omnimoda iudicii hujus certitudine, cum id claris Scripturæ S. dictis possit probari. Potiora hic adducemus: sic habent Acta Apostolorum *cap. 17. v. 31.* DEVS statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in iustitia per virum per quem decrevit. Ubi admirabili quodam artificio, ut notavit Origenes *tract. 1. in Matthæum*, Paulus cum deducere vellet Athenienses



entes in Christi cognitionem, non DEVM illum nominat, ne rei novæ admiratio doctori invidiam atque contemptum pareret, sed virum, ita tamen, ut in eo aliquid esse supra virum conciperent. Conf. Sanctium *comment. in cap. 17. Act.* Et Paulus *Rom. 14. v. 10.* testatur, omnes nos esse sistendos ante tribunal Christi, nimirum ab eo tanquam omnium Domino & Judice judicandos: tribunal enim judicariam potestatem innuit. Similis est locus *2. Cor. 5. v. 10.* Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, quæ in corpore egit, sive sit bonum sive malum. Ubi sive cum Ambrosio legas *stare ante tribunal*, sive cum Augustino, *astabimus*, sive, *manifestari oportet*, quæ genuina lectio, probatio ex h. l. firma est, quamvis alias plus sit *manifestari*, quod hic legitur, quam adstare sive sisti: hinc Theodoret. recte monet, Apostolum non dixisse *sisti*, sed *manifestari*, quam manifestationem alii referunt ad iudicem, cui omnia hominum facta nota erunt, alii ad cæteros homines, quia, ut Lyranus ait, *judicium illud apparebit omnibus justum, singulis videntibus omnia bona & mala aliorum.* Et quid clarius sermone ipsius iudicis *Matth. 25. v. 31.* esse potest, ubi totum fere iudicii extremi processum describit.

III. Quin imo sic Ecclesia antiqua semper statuit, quod ex ipsius symbolis cernere licet. Sic enim habet symbolum, quod dicitur Apostolicum: Credo in Jesum Christum: & interjectis paucis, qui ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram DEI Patris omnipotentis: *inde venturus est judicare vivos & mortuos.* Idem docet Symbolum Nicænum: Credo in Dominum Jesum Christum &c. qui crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum Scripturas & ascendit ad cœlos,

cœlos, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est in  
 gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis.  
 Eodem modo Athanasianum: Est ergo fides recta, ut cre-  
 damus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus  
 DEI Filius, Deus & homo est, &c. & post pauca: qui passus  
 est pro nostra salute, descendit ad inferos, tertia die resurre-  
 xit a mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram DEI  
 Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos & mor-  
 tuos. Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum  
 corporibus suis & reddituri sunt de factis propriis rationem, &  
 qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam, qui vero mala in  
 ignem æternum. Et Confessio nostra Augustana idem do-  
 cet, quod Scriptura & Ecclesia antiqua Artic. XVII. Christus  
 apparebit in consummatione mundi ad judicandum, & mortuos  
 omnes resuscitabit, piis & electis dabit vitam æternam & per-  
 petua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnabit,  
 ut sine fine crucientur.

IV. Et profecto, si de judicio universali futuro du-  
 bitandum, vacillaret justitiæ divinæ veritas. Quot quæso  
 pietati omnino dediti, quos quidem fides ab hypocrisicos  
 suspitione satis liberaverat, in summa miseria hic degunt,  
 nec degunt solum, sed cum ea vitam quoque terminant.  
 E contrario quot extreme impii in omnium rerum affluen-  
 tia dies suos consumunt, ac sine ullo dolore in impietate  
 tamen spiritum emittunt, nec ullam impietatis suæ pœnam  
 hic luunt? Quid quæso hic de justitia divina dicemus, qua  
 se fore bene factorum remuneratorem, gratiose promissit,  
 eorum vero quæ male acta sunt, severum se vindicem fore  
 minatus est. Sane salva hac justitia divina, post hanc vitam,  
 alia debet superesse, in qua, quæ à DEO promissa sunt, aut  
 quæ minatus est, præstabuntur, & consequenter judicium  
 quo-

quoque futurum est, quo DEUS feret sententiam sive de vita æterna adeunda, sive de pœnis æternis subeundis. Audiamus verba B. nostri Gerhardi in *Loc. de extr. jud. c. 2. §. 20. Justitia*, inquit, *divina requirit, ut bonis bene, malis autem male sit. Atqui in hac vita saepe accidit, ut impiis & omni scelerum genere coopertis omnia ex voto fluant, contra vero piis omnia adversa eveniant, adeoque nec illorum ultio, nec horum remuneratio locum habeat, necesse igitur est superesse novissimum & universale judicium in quo impiis promerita supplicia, piis vero gratuita premia sint reddenda. Atque huc nos remittit etiam Apostolus 2. Thess. 1. v. 6. Justum*, inquit, *est apud DEUM vicissim rependere iis, qui vos affligunt, afflictionem, vobis autem, qui affligimini, relaxationem nobiscum &c. Justum est*, ait Apostolus, *h. e. decet DEI bonitatem, æquitatem & auctoritatem, qua tanquam supremus judex & gubernator universæ creaturæ præsidet, & unicuique secundum opera sua reddet, Rom. 2. v. 6. Sane injuria afficiunt fideles improbi, quando eos affligunt, nec fidelibus modo, sed quantum in ipsis est, in DEVM quoque, cujus Leges violant, & ordinem turbant, injurii sunt. Quanquam itaque reapse DEO derogare vel auferre nihil possunt, quia tamen, quantum in eis est, eo annituntur, censentur, quasi DEO ipsi incommodum attulissent & damnum dedissent. Futurum igitur dicit Apostolus judicium, quo DEUS puniet impios non solum, quia pios vexarunt, sed etiam quia voluntati divinæ repugnarunt, & reipubl. universi, atque ordinem, quem in ea servari DEUS voluerat, turbarunt.*

V. Pauca sunt, quæ mentem dubiam hic faciunt. Objici potest: I. *Job. 3. v. 18. ubi dicitur: Qui credit in Christum, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est. Duo continet vel continere videre hoc dictum: Pri-*

mo

mo distingvit genus humanum in duo genera, in credentes scilicet & incredulos : secundo neutrius generis homines judicatum iri. Argumentum est tale : Sublato iudicii obiecto tollitur ipsum iudicium. Atqui extremi iudicii obiectum tollitur. E. ipsum extremum iudicium tollitur. Major probatur : Quia non potest esse iudicium, nisi sit aliquis in quem exerceatur : Minor probatur ex citato loco Johannis, in quo negatur, quenquam hominum venturum in iudicium : non credentes, quia hi non iudicantur : non incredulos, quia hi jam tum sunt iudicati : Prius quam ad argumentum respondeatur, explananda est dicti citati sententia. Sciendum igitur est, in loc. cit. non esse sermonem de obiecto extremi iudicii, quasi quidam vel omnes hoc iudicium sint declinaturi, sed de modo iudicandi, ut sensus sit, credentem non esse iudicandum, ita, ut condemnentur, cum enim fide apprehendat satisfactionem Christi, nihil est, quod eum condemnet : contra vero significatur, non credentem jam iudicatum esse, certo scil. modo, nempe ratione divini decreti, ratione iudicii in verbo manifestati, & incredulis promulgati, cujus executio in die novissimo sequetur. Optime hanc rem declarat B. Gerh. cap. 2. §. 25. *Loc. de extremo iudicio.* Verba ipsius sunt : *Immediate hic vers. 19. sequitur, hoc est iudicium, i. e. causa iudicii & damnationis, sicut Job. 17. v. 3. Hæc est vita æterna, i. e. causa vite æternæ, utique ergo erit iudicium. Quod vero Christus de credentibus dicit, eos non esse iudicandos, de incredulis, quod jam sint iudicati, id non est accipiendum de finalis sententiæ absolutoriæ ac damnatoriæ in die novissimo promulgatione ac publicatione, sed partim de æterno & immoto iudicii divini decreto, partim de infallibili futuri iudicii certitudine, partim de iudicii damnatorii negatione respectu piorum, &c.*

Ex

Ex quibus patet, falsam esse Minorem Propositionem argumenti. Christus enim loco citato non agit de objecto, sed de modo iudicii, &, ut ex dictis constat, sensus est, quod quidem prius membrum attinet, qui credit, non iudicatur, iudicio scilicet reprobationis vel condemnationis, quo iudicio sententia damnatoria in impios feretur: quod autem membrum posterius attinet, scilicet *qui non credunt, iam esse iudicatos*, Salvator vult, incredulos in sua conscientia, ut & decreto Dei in verbo patefacto, iam esse iudicatos. Bene etiam Chrysostom. in *hom. 27. in Job.* hac similitudine hoc explicat: Quemadmodum, inquit, homicida etsi sententia adhuc sit in condemnatus, damnatur ipsius sceleris natura, ita & incredulus. Hic enim etsi nondum iudicis extremi voce decretoria est damnatus, damnant tamen ipsum impia facta, peccata & incredulitas. Inde autem non licet colligere, ipsum fore liberum a iudicis extremi sententia damnatoria.

VI. Videtur II. obstare iudicii extremi certitudini locus *Job. 8. v. 15.* ubi Christus sic ait: *Ego non iudico quemquam.* Argumentum poterit inde formari tale: Si Christus neminem iudicat, sequitur non futurum esse iudicium extremum. Atqui Christus neminem iudicat. E. Consequentia Majoris probatur inde, quia Christus ab illis, qui iudicium futurum esse statuunt, ponitur in eodem iudicio iudex, negato autem iudicii iudice negatur iudicium ipsum. Antecedens probatur ex loco allegato *Job. 8. v. 13.* Circa hunc locum observandum hic est, non unam esse de eo interpretentur sententiam. Nonnulli existimant sermonem hic esse de primo adventu Christi, nempe de adventu in carnem, juxta hos sensus hujus loci erit: *Ego non iudico quemquam hoc tempore, quia ideo non veni in mundum,*

B

ut ju-

ut judicem mundum sed ut servem, Vid. *Job. 3. v. 27.* Conf. *Chrys Theophyl. Euthym. in b. l.* Alii putant, velle Christum hic ostendere discrimen inter suum & Phariseorum judicium, inducti verbis ejusdem capituli ac versus proxime precedentibus, in quibus dicit Christus, Phariseos judicare carnaliter, atque secundum hos verba hæc id volunt: Scilicet ego non judico quenquam secundum carnem i. e. affectibus motus, vel, juxta alios, secundum externam apparentiam, ut vos facere soletis, &c. Alii Christum hoc dicere velle Judæis existimant: Possent quidem propter hypocrisin, factum ac incredulitatem vos judicare & condemnare, at vero non ita vobiscum ago, sed amice & blande vos erudio & anxie salutem vestram quæro. Alii dicunt Christum negare se quenquam judicaturum sc. sine Patre, sicut Pater *Job. 5. v. 22.* quenquam judicare negator. Quocumque sensu acceperis loc. cit. stat firmo talo judicii extremi certitudo. Ad argumentum igitur Resp. per evolutionem ambiguitatis Majoris, quæ dupliciter potest intelligi: (1) h. m. Si Christus non judicat quenquam secundum quid, nempe secundum carnem, h. e. ex affectu, vel juxta alios, secundum exteriorem aspectum, aut in his terris, aut solus sine Patre, sequitur non futuram esse judicium extremum: hoc modo negatur consequentia. (2) h. m. Si Christus simpliciter non judicat quenquam, sequitur non futurum esse judicium extremum: sic concessa consequentia negatur antecedens: probatio est impertinens. Allegato enim loco Christus non negatur plane ac simpliciter quenquam judicare, ut in explicatione dicti fuit ostensum.

VII. Objici potest III. Si animæ statim post suum & corpore discessum mercedem operum in corpore gestorum accipiunt, sequitur nullum superesse judicium. Atqui verum

verum est antecedens. E. & consequens. Antecedens testimonio Scripturæ, si opus esset, satis posset probari. Consequentia autem probatur, quia sic vanum & frustraneum esset iudicium extremum, non enim amplius potest iudicari qui jam tum iudicatus est. Sed nihilominus negatur Consequentia Majoris. Etenim propterea quod anima statim post suum è corpore discessum iudicatur, iudicium extremum non est frustraneum, sed est ac manet maxime necessarium, (1.) ut Dei iustitia & misericordia ostendatur toti mundo, ut ostendat piis quam sint miseri quos ipsi in vita putabant esse felicissimos, & impiis, quæ nunc fruuntur beatitudine quos pro abjectissimis habuerunt. (2.) ut glorificetur Filius hominis. Nam in hoc Christi gloria sita est, ut iudicet coram omnibus eos, a quibus iniuste iudicatus fuit. (3.) ut augeatur laus bonorum & ignominia malorum (4.) ut iudicetur totus homo, & accipiat secundum ea, quæ in corpore egit sive sint bona, sive mala 2. *Cor. 5. v. 10.* Sicut enim totus homo vel bene vel male egit: ita & totus homo coram tribunali Christi sistendus est, ut percipiat sententiam iudicis sive ad vitam æternam, sive ad opprobrium sempiternum.

VIII. Posita nunc iudicii universalis certitudine, quid & quotuplex sit porro dispiciendum est. Solet iudicium extremum ab Ecclesiæ nostræ Doctoribus describi per actum S. S. Trinitatis, quo per Christum nostrum Redemptorem, comitantibus & ministrantibus Angelis bonis, visibili modo apparentem Angelos malos & omnes homines iuste iudicabit, piis, qui in fide salvifica perseverarunt, juxta Evangelicam promissionem vitam æternam; impiis vero & incredulis secundum normam legis, æternam damnationem adjudicando: quæ descriptio, ut fieri solet, petita est a

causis extremi iudicii, ex quibus potiores examinaturi sumus, si prius distinctionem hujus iudicii praesenti tractationi inservientem observaverimus. Distingui autem solet in iudicium discussionis & retributionis: Discussionis iudicium, uti monet DN. Praeses in Colleg. Loc. M. S. Christo non ita proprie, ut iudici terreno, qui saepius proluxa inquisitione opus habet, sed per quandam analogiam tribuitur. Proprie iudicium discussionis dicitur, quando partes litigantes audiuntur, testes examinantur, merita causae ponderantur, quae tamen in iudicio novissimo non erunt occulta, quia Christo, vi omniscientiae suae, omnia sunt notissima, interim quatenus Christus cujusque opera tanquam fructus fidei aut incredulitatis producet, adeoque singulorum causae hoc modo discutientur, hoc iudicium discussionis vocari solet. Ex verbis igitur his venerandi Praeceptoris nostri, iudicium hoc posset describi per actum iudicis supremi, quo omnium opera in lucem producet, atque sic singulorum causas discutiet. Quia enim iudicium debet esse visibile, & in conspectu hominum & Angelorum visibili modo haberi, ideo propter Angelos & homines etiam causarum discussio instituetur, ita quidem, ut Christus in lucem protracturus & manifestaturus sit etiam occulta tenebrarum, & consilia cordium, ut docet Apostolus *1. Cor. 4. v. 5.* Retributionis autem iudicium est actus iudicis supremi quo sententia causae cognitae conformiter feretur: Hoc retributionis iudicium est vel approbationis vel reprobationis, redargutionis & condemnationis. Approbationis iudicium dicitur actus, quo iudex attribuet piis vitam aeternam, juxta illud Salvatoris: *Venite benedicti Patris mei &c. Matth. 25. v. 34.* Reprobationis sive redargutionis & condemnationis est actus iudicis quo impios igni aeterno adjudicabit *Matth. 25. v. 41.*

Obfer-



Observandum autem hæc non esse ipsius iudicii in diversas species, sed diversorum actuum unius iudicii distinctiones.

IX. *Causa efficiens hujus iudicii sive iudex erit tota S. S. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Vid. Rom. 2. v. 5. & seqq. Actor. 17. v. 31.* Est præterea adfertionis hujus fundamentum una & indivisibilis essentia divina, identitas divinatorum attributorum: Sicut igitur iudex iudicii hujus iudicabit ut justus, ut omniscius atque omnipotens, atque hæc attributa omnibus tribus divinitatis personis indivisibiliter competunt, ita constat omnes quoque tres Deitatis personas iudicium hoc esse exercituras. Et denique est iudicium extremum opus ad extra, quod terminatur ad creaturas, quæ opera sicut sunt indivisa; ita de iudicio extremo idem dicendum.

X. De Patre autem res videtur esse dubia, cum Christus *Job. 5. v. 22.* dicat, Patrem non iudicare quenquam sed omne iudicium tradidisse Filio. Si vero Pater omne iudicium tradidit Filio, nec quenquam iudicaturus est, contra Scripturam videtur asseri, Patrem esse iudicii extremi causam sive in iudicio extremo iudicem. Hoc autem non obstante firma manent quæ in præcedenti paragrapho fuerunt dicta. Locum Johannis quod attinet, sciendum inibi non negari simpliciter de DEO Patre, quod iudicaturus sit quenquam, & quod omne iudicium tradiderit Filio affirmari, sed tantum secundum quid, fere eodem modo quo dicebatur de Filio, ipsum non esse quenquam iudicaturum. Sensus igitur c. l. est, Patrem non esse quenquam iudicaturum sc. sine Filio, sicut nec Filius sine Patre, sed Patrem omne iudicium tradidisse Filio, ut hic sc. quoad externum & visibile exercitium solus hoc iudicium administraret. Bene in *b. l. Maldon.* scribit: *Pater dicitur neminem iudicare, non quod*

revera non iudicet, quicquid enim una persona facit extra seip-  
sam, omnes simul persona faciunt: Sed quia non iudicat, sum-  
ta persona iudicis, quæ ab hominibus, quos iudicat, videatur,  
cum illis loquatur, sententiam verbis proferat, denique externo  
ritu, formaque judiciali non iudicet, dicitur neminem iudicare.  
Filius autem hoc sensu solus iudicat, quia solus homo est, qualens  
eum, qui homines iudicet, esse convenit. Optime Augustin.  
lib. 1. de Trin. cap. 13. Pater non iudicat quenquam, sed omne  
iudicium dedit Filio, ac si diceretur, Patrem nemo videbit in ju-  
dicio vivorum & mortuorum, sed omnes Filium, quia Filius ho-  
minis est, ut possit & ab impiis videri, cum & illi videbunt, in  
quem pupugerunt: Item: Pater non iudicat quenquam, sed  
omne iudicium dedit Filio, quia iudex in forma Filii hominis ap-  
parebit, quæ forma non est Patris. &c. Patet igitur locum  
Johannis assertioni præcedenti non adversari.

XI. Quanquam igitur tota S. S. Trinitas per aucto-  
ritatem, majestatem, justitiam ac decretum huic iudicio ut  
iudex præerit: Filius tamen, ut ex antecedentibus patet,  
quoad externum & sensibile exercitium iudicabit, & in glo-  
ria sua conspicue omnibus cum piis tum impiis pro tribuna-  
li sedens sententiam dicet, ut testatur Paulus 2. Cor. 5. v. 10.  
Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Jesu Christi, ut  
reportet unusquisque secundum ea, quæ egit in corpore sive bo-  
num sive malum. Confer quæ habentur Matth. 25. 34. 41.  
Job. 5. v. 22. Job. 5. v. 27. Act. 10. v. 42. Act. 17. v. 31.

XII. Ex dictis obscurum nullo modo esse potest, fo-  
re Christum iudicem cum secundum divinam, tum etiam  
secundum humanam naturam, idque propter communi-  
catam justitiam, majestatem & omnipotentiam divinam.  
Clarius autem id constat ex S. Scriptura, quando iudicem  
hunc modo appellat Filium hominis Matth. 19. v. 28. Matth.

25. v.

25. v. 31. Virum *Act.* 17. v. 31. Christum *Act.* 10. v. 42. *Ses-*  
*surus* super sedem gloriae *Matth.* 25. v. 31. conspiciendus ab  
 hominibus *Matth.* 24. v. 30. Voce viva pronunciaturus  
 sententiam piis ac impiis *Matth.* 25. v. 43. *Esseqq.* *Act.* 1. v. 11.  
 duo viri albis amicti vestibus dicunt Jesum hunc redicurum  
 sc. ad iudicium, sicuti viderant in caelos ascendere. Hac  
 autem omnia quae de iudice hoc dicuntur, humanam in ip-  
 so naturam arguunt, quae in unitatem personae *Νεγς* assu-  
 mta, divinae Maiestatis, adeoque potestatis iudiciariae parti-  
 ceps facta à iudicio nullo modo excludenda est.

XIII. Antithesin hic amplectuntur Calviniani ne-  
 gantes Christum fore iudicem secundum humanam natu-  
 ram. Vid. *Admon. Neostad. de Form. Conc.* p. 21. Verum  
 sicut propter unionem personalem divinae naturae cum hu-  
 mana, etiam divina Maiestas omniaque idiomatica divina  
 humanae naturae sunt communicata, cuius maiestatis com-  
 municatae plenarium usum Christus in exaltatione secun-  
 dum humanam naturam accepit: ita humana natura com-  
 municata etiam est potestas iudicandi vivos & mortuos,  
 quam plenarie exercebit in novissimo die Christus etiam  
 secundum humanam naturam. Neque ferenda est senten-  
 tia *Bucan. L. Theol. XXXIIX. qu. 5.* qui Christum quati, ho-  
 mo est, sive secundum humanam naturam tantum causam  
 efficientem ad ministram seu instrumentalem statuit. Ve-  
 rum causa ministerialis & instrumentalis concurrat ad effe-  
 ctum virtute ignobiliori, quam ad eum requiritur: at vero  
 humana natura ad iudicium extremum concurreret divina  
 virtute, omnipotentia, omniscientia divina, cuiusmodi  
 virtus non est ignobilior.

XIV. Iudici huius ministratori sunt sancti Angeli, quo-  
 rum erit officium (1.) congregare homines ex omnibus

man-

mundi partibus *Matth. 24. v. 31. Marc. 13. v. 27.* (2.) segregare pios ab impiis, illos Christo judici à dexteris, hos vero à sinistris collocando. Huc quodammodo referri potest loc. *Matth. 25. v. 32, 33.* (3.) pios Christo in occursum ferre per aëra, 1. *Theff. cap. 4. v. 17.* impios vero detrudere in infernum *Matth. 13. v. 42. Cap. 22. v. 13.*

XV. Hic, quem antea diximus, extremi iudicii iudex principaliter & proprie dictus est, præterea vero in sacris literis & alii dicuntur futuri hujus iudicii iudices. Nempe sancti Apostoli iudicaturi dicuntur in duodecim thronis *Matth. cap. 19. v. 28.* Imo sancti & pii homines, testante Apostolo I. Corinth. 6. v. 2. *An nescitis quod sancti mundum sint iudicaturi, & v. 3. etiam Angelos iudicabimus.* Non vero his & Christo judici synonymice vocabulum iudicabuntur, i. e. non hi cum Christo eodem plane modo iudicabunt examinando res & gesta hominum ferendoque sententiam decretoriam, sed tantum ut iudicii adseffores approbantes iudicis supremi sententiam ac testificantes de piorum operibus bonis & impiorum male factis. Quapropter pl. Ven. Dn. D. Hildebr. in *Instit. suis Disp. VII. §. XXVI.* iudices hos *ἐμμανύως* dictos appellat.

XVI. Atqui, inquis, sancti sunt iudicandi, ut ex seqq. patebit, quomodo igitur fieri potest, ut ipsi quoque iudicent? Sunt quidam, qui solis Apostolis hanc dignitatem volunt tribuere, alii fuerunt, qui iis etiam qui ad Apostolicam perfectionem adspirarunt, & omnia propter Christum reliquerunt. Verum cum Scriptura S. sicuti ex ea in præcedent. id probatum dedimus, claris verbis id tribuat piis ac sanctis in genere, B. Gerhardi sententiam amplectimur, qui Loc. de extremo iudicio Cap. 3. §. 43. obiectioni huic ita satisfacit, *simplicissime*, inquit, *respondetur omnes boni-*

homines, & sic etiam sanctos primo quidem coram tribunali Christi statuendos esse; sed mox in occursum Christi in aëra tum ab Angelis, tum agilitate corporis clarificati rapiendos, 1. Theff. 4. v. 17. ac una cum Christo & Apostolis, qui velut Primores & Adseffores regni Christo erunt proximi, mundum & Angelos malos esse iudicaturos. Brevibus pii primum iudicabuntur à Christo iudice; iudicati deinde & ipsi iudicabunt impios & Angelos malos.

XVII. Hæc de iudicii extremi iudice. Obiectum iudicii huius est duplex, materiale & formale. Ad Obiectum materiale spectant omnes omnino homines quotquot vivunt, vixerunt & adhuc victuri sunt, pii scilicet & impij 2. Cor. 5. v. 10. Omnes nos ante Christi tribunal manifestari oportet, Conf. Matth. 25. v. 32. Rom. 14. v. 10. Neculum sanctum, inquit modo laudatus Ven. Dn. D. Hildebr. Disp. cit. §. XXVII. hic eximium facimus, cum in omnibus iudicandi materia, nempe peccatum existat, nec ipse Apostolus sese excipiat, Rom. 14. v. 12. Spectant etiam huc angeli, quod tamen de malis sive diabolis est intelligendum: Nam & hos in iudicio hoc universali iudicandos esse, docet Apostolus 1. Cor. 6. v. 3. An nescitis, quod Angelos iudicaturi sumus? Conf. 2. Petr. 2. v. 4.

XVIII. Verum quæ dicta sunt dubio carere non videntur. Sic enim Christus Job, 5. v. 24. dicit: Amen, Amen dico vobis, qui audit verbum meum & credit in illum qui misit me, habet vitam æternam, nec venit in iudicium. Ex his quispiam argumentetur h. m.: Si qui credunt, non sunt venturi in iudicium; sequitur non omnes homines iudicatum iri. Sed prius est verum E. & posterius. Prius probatur verbis Christi modo allegatis: Consequentia est probata, Conclusio autem adversatur thesi præcedenti, qua fuit

C

affir.

affirmatum ad objectum materiale iudicii spectare omnes omnino homines sive omnes homines iudicatum iri. Deinde videntur etiam obstare verba *Ezech. 18. v. 21. 22. si convertatur impius, peccatorum ipsius nulla amplius erit memoria.* Ex his verbis sic fortean quis argementaretur: Cujuscunque peccatorum DEus non vult amplius meminisse ille non venturus est in iudicium: Atqui pœnitentium peccatorum DEus non vult amplius meminisse. E. pœnitentes in iudicium non sunt venturi. Maj. probatur inde, quia si pœnitentes essent in iudicium venturi, DEus reminisceretur peccatorum pœnitentium, quod se non facturum ostendit loco *Ezech. allegato.* Conclusio autem eidem contradicit verbis thesœs præcedentis, quæ affirmat, omnes homines venturos esse in iudicium, quippe quæ negat omnes homines venturos in iudicium cum pœnitentes excipiat. Verum enim vero ne sic quidem mentem nostram mutamus, etenim videntur quidem dicta loca thesin nostram evertere, sed non evertunt. Ad primum igitur argumentum antequam respondeamus, dispiciendum est de sententia loci *Johannis allegati.* Dicunt autem Venerandi Theologi nostri, sermonem ibi esse de iudicio reprobationis vel condemnationis, negari que credentes esse in iudicium reprobationis seu condemnationis venturõs, ut sensus verborum sit: Amen, Amen dico vobis, qui audit verbum meum, & credit in illum, qui misit me, habebit vitam æternam, nec venit in iudicium scil. reprobationis, sive, non condemnabitur, nec igni æterno adjudicabitur. Bene etiam Maldon. in h. l. *In iudicium non venit,* non significat, non esse iudicandum: nam omnes nos manifestari oportet ante tribunal *Gbristi,* sed condemnandum non esse. Ex his igitur respondemus ad primum argumentum, per evolutionem ambiguitatis

guitatis Majoris, quæ dupliciter potest intelligi (1) simpliciter, hoc sensu: Si credentes non sunt venturi in iudicium, nempe neque discussionis neque approbationis, neque reprobationis iudicium, sequitur non omnes homines iudicatum iri. Sic consequentia quidem bona est, sed negatur antecedens: probationem vero esse impertinentem, patet ex explicatione dicti citati, hoc enim excludit credentes non ab omni, sed tantum à reprobationis iudicio. (2) Maj. potest intelligi secundum quid, hoc modo: Si, qui credunt, non venturi sunt in iudicium reprobationis vel condemnationis, sequitur, non omnes homines iudicatum iri. Verum quis Majoris hujus apertam falsitatem non animadvertit? Ad secundum eodem fere modo poterit responderi, nempe per limitationem Majoris propositionis, si Ezechiel loco citato rite fuerit explicatus. Etenim hic non simpliciter de omnimoda oblivione vult intelligi, sed tantum secundum quid, de memoria ulciscendi, & sensus est, Deum nolle amplius meminisse peccatorum eorum, qui poenitentiam agunt, in ira vel ut ulciscatur, aut poenam eorum amplius requirat. Quod si enim de omnimoda oblivione explicueris, absurdum erit admittendum, scil. hoc, cadere in Deum aliquam oblivionem, quod sine maxima absurditate, quin peccato, nemo concesserit. Digna sunt, quæ huc adscribantur, verba Sanctii com. in Ezech. h. J. Recordari in omni lingua, & omnium maxime in Ebraica, opus sonat externum, ortum non ab otiosa atque inerti, sed à vivida practicaque memoria: unde quispiam recordari dicitur pauperis, cum illius sublevat inopiam; & meritorum alicujus, cum illa debita mercede compensat: & scelerum aut injuriarum, cum illas ulciscitur. Contra vero, licet aliquis à se, sive meritorum sive injuriarum memoriam non deponat, oblitus ta-

men dicitur, cum nullum extat memoria illius monumentum aut argumentum externum, quia que iners est & otiosa, non existimatur memoria. Hinc orant sancti, ut memor sit Deus inimicorum, i. e. ut illos puniat. Juxta hanc Scripturæ S. consuetudinem dicit Dominus, non futurum se memorem iniquitatum, quas homo pœnitens operatus est, e. videlicet memoria, qua quis injuriarum recordari solet, ultrice nempe injuriarum aut peccatorum vindice. Hæc Sanctius d. l.

XIX. Quidam vero Pontificii in specie hic ab objecto hujus judicii excipiunt parvulos non baptizatos, eosque qui voluntariam voverunt paupertatem. Verum obstant utrique sententiæ Scripturæ loca nimis manifesta, quæ testantur, omnes homines coram tribunali Christi sistendos esse, de quibus supra: qua ratione igitur excipi possunt, qui vel paupertatem voverunt voluntariam, aut parvuli non baptizati? Dn. quod attinet eos, qui voluntariam voverunt paupertatem, aut credentes sunt, aut non credentes: si illud, non quidem venient in judicium reprobationis & condemnationis, judicium tamen approbationis illis denegari nequit: Si hoc, subeant necesse est judicium condemnationis, Joh. 3. v. 18. Quod parvulos non baptizatos attinet, 1. nititur Pontificiorum sententia falsis hypothesebus, quod absolute Baptismus sit necessarius etiam in casibus extraordinariis, quod requirantur merita propria, ut quis particeps fiat regni cœlorum, quod parvuli non baptizati cœlorum excludantur, etiam si per preces parentum piorum & ecclesiæ Deo offerantur. 2. Resurgent sine dubio parvuli non baptizati. E. judicium non declinabunt: in Script. enim connectuntur resurrectio & judicium.

XX. Angelos malos sive diabolos non iri judicatum, putant nonnulli inde probari posse, quia, si judicandi adhuc essent



essent diaboli, liceret inde colligere ipsos hoc tempore a poena sua esse immunes. Quanquam vero quaestionem illam, sentiantne Diaboli hoc tempore etiam poenam sensus, sicuti & loci praesentis non est, nostram nunc non facimus, id tamen ex Scripturis colligere licet, eos poenam perfectam, & quoad complementum ac plenitudinem nondum luere, cujus indicium est, quando *1. Petr. 5. v. 8.* circumambulare dicuntur; ad *Eph. 2. v. 2.* in aëre dominari, item inter infideles agere, ibid. Hoc complementum poenarum ac plenitudinem percipient, quando in die novissimo carceri infernali ita adjudicabuntur, ut nullus in aeternum inde sperandus ipsis sit exitus, nunc latet culpa eorum, tunc vero in extremo judicio publice manifestabitur culpa eorum & poena. Quod si vero exinde asserere licitum esset, diabolos non esse in judicium venturos, idem id dicendum esset de impiis hominibus, quorum animae nunc in inferno poenas luunt, ut tamen in novissimo die sint judicandi, & qua corpus atque animam aeternis cruciatibus subjiciendi.

XXI. Non autem hoc judicium extendendum est ad Angelos bonos creaturasque irracionales. De his enim proprie quidem accepto judicii vocabulo dici nequit, futurum esse, ut veniant in judicium. Scriptura namque nullam de his facit mentionem, & quando Angelos dicit esse judicandos, in specie ad malos angelos sive diabolos applicat. Consi. *2. Petr. 2. v. 4.* Locus *2. Petr. 3. v. 7.* qui pro judicio rerum irrationalium adduci solet nihil probat. Ibi enim non dicitur coelum & terram judicatum iri, sed tantum reservari in diem judicii & perditionis hominum impiorum, ubi judicium non ad coelum & terram, sed ad impios homines spectat. Si autem vocabulum judicii improprie sumas, atque per judicium intelligas iram & gratiam divi-

ne testimonium, ut hoc sensu cœlum & terra iudicatum iri  
statuatur, nihil sententia ista incommodi habere videtur.  
Conf. B. Gerb. *L. de extr. jud. c. 4. §. 52.*

XXII. Atque hæc de materiali objecto iudicii extre-  
mi, sequitur formale: Hoc autem pro diverso respectu di-  
versum est. Objectum formale iudicii extremi respectu  
Angelorum iudicandorum est ipsorum lapsus & in malo  
perseverantia. In ordine autem ad homines pios objectum  
formale iudicii huius est fides salvifica eaque finalis: in or-  
dine vero ad impios incredulitas, quatenus illa ex bonis,  
hæc vero ex malis operibus innotescit *2. Cor. 5. v. 10. Rom. 2.  
v. 6. Apoc. 20. v. 12.* Huc igitur spectant opera & gesta cor-  
poris *2. Cor. 5. v. 10.* Cogitationes *Rom. 2. v. 15.* Verbum  
quodvis otiosum *Matth. 12. v. 36.* Speciatim ratio exigetur  
à Magistratu Ecclesiæ administrationis officii sui; à Pastore,  
ut præfuerit auditoribus *Ezech. 33. v. 8.* à Magistratu civili,  
quomodo imperaverit subditis: à Patrefamilias ut rexerit  
domum suam, imo quisque de usu bonorum fortunæ, ani-  
mi & corporis rationem reddet: atque addunt alii, multi  
damnabuntur, non quod male egerint, sed quod bene fa-  
cere intermiserint.

XXIII. Hic autem disceptari solet, an etiam in iudi-  
cio hoc piorum imperfectiones & peccata sint manifestan-  
da? Ad hoc dubium respondet venerandus noster DN. D.  
Musæus in Collegio quodam M. S. dubitari quidem solere.  
Certum tamen est, addit, ea non productum iri ad ipsorum  
confusionem, ut impiorum peccata, cum jam sint remissa.  
Non interim improbable est, ea etiam ipsis tunc ob oculos  
versatura, ut suam ipsorum et indigentiam inde agnoscant,  
& quicquid gloriæ sibi tribuitur, id omne gratiæ Dei, Chri-  
stique Redemptoris sui merito acceptum referant. Quod  
ipsum

ipsum videtur velle locus *Matth. 25. v. 37.* Tunc iusti respondebunt dicentes: *Domine, quando te esurientem videmus, & cibum praeuimus? aut quando sitientem, & praeuimus potum? Quando te vidimus hospitem, & hospitio excepimus? aut nudum, & vestiuimus te? &c.*

XXIV. In determinando iudicii extremi objecto formali dissentiunt à nobis Pontificii, qui non secundum fidem & incredulitatem homines iudicandos esse affirmant, sed simpliciter secundum opera. Provoquant ad descriptionem processus iudicialis *Matth. 25. v. 34. 35.* maxime particulam urgent causalem, quoniam dicitur: *Venite, possidete regnum: Esurivi enim & dedistis mihi edere &c.* Verum sententia nostra de objecto formali iudicii, & prima ratione sub qua aliis vita aeterna, aliis opprobrium aeternum adjudicabitur, satis clara est ex *Job. 3. v. 16. 18.* & aliis locis. Quod attinet descriptionem processus iudicialis *Matth. 25.* adducuntur quidem ibi opera & quidem piorum, ut testimonia fidei; impiorum vero, quatenus merentur aeternam damnationem, ut tamen immediata causa damnationis sit incredulitas, & fides in Christum sit ac maneat ratio, cuius intuitu piis vita aeterna adjudicabitur. Quod urgent particulam causalem, id nihil probat, & respondit ad hoc *B. Glass. l. 3. Phil. S. tr. 7. can. 17.*

XXV. Ratio formalis extremi iudicii potissimum pertinet a processu. Hic autem duobus potissimum absoluitur actibus, Discussionis & Retributionis iudicio. Ad iudicium discussionis spectat a. tertio librorum *Apo. 20. v. 21.* libri scilicet Vitæ, quo in rubro quasi sanguine pii & electi notati sunt: libri omniscientiae divinae è quo omnium hominum opera manifestabuntur: libri S. Scripturae, qui liber est norma ad quam iudicandi sumus *Job. 12. v. 48.* libri testi-

testimoniorum seu testificationis pauperum & denique libri conscientiarum, quæ mille instar erit testium. Hosæ discussionis actus excipient alii, qui sunt iudicii retributionis. Huc spectat causæ cognitæ decisio ac definitivæ sententiæ promulgatio, Piis quidem, *Venite benedicti Patris mei possidete regnum, quod paratum est vobis a constitutione mundi Matth. 25. v. 34.* Impiis vero: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus, Matth. 25. v. 41.* Denique huc spectat promulgatæ sententiæ executio *Matth. 13. v. 49. Matth. 25. v. 46.*

XXVI. Hi sunt potiores actus quibus extremi iudicii procellus erit absolvendus. Quæris igitur an sic hoc iudicium aliquam temporis moram sit habiturum. Non per aliquot modo, sed per multos dies, quin annos distrahendum esse hoc iudicium absurde quidam statuerunt. August. de Civit. Dei *lib. 20. cap. 1.* an per aliquot dies protrahendum sit in medio reliquit. Verum enim vero sine causa videtur quæri, num per dies protrahendum sit hoc iudicium, multo magis per annos. Toties enim Scriptura Sacra dicit ultimo die peractum iri hoc iudicium. Quærunt igitur dies, ubi dies amplius non reperietur, quærunt dies ubi omnis distinctio dierum desit. Interim aliquam moram habiturum esse, negari minime poterit, cum discretio piorum ac impiorum, item sententiæ definitivæ prolatio ac executio in oculi ictu peragi posse non videatur. Quanta autem hæc mora futura sit, non potest definiri, sed Scriptura taceat & nobis hic tacendum est.

XXVII. Si igitur non per dies protrahetur hoc iudicium, quæratur num omnes homines iudex iudicaturus sit voce externa & sensibili, an vero interna tantum, & quemlibet in sua conscientia? Sunt qui negativam sententiam defen-

defendunt quam sequentibus probare volunt (1) quia cap. 25. Matth. quo in processu hujus iudicii describitur, est parabolicum. Parabolæ autem quoad literam neque intelligendæ neque explicandæ sunt, adeoque nec ea quoad literam, quæ inibi de voce externa habentur, accipienda erunt. (2) quia cogitationes hominum se invicem accusaturæ & defensuræ leguntur *Rom. 2. v. 15. 16.* non igitur opus esse videtur voce externa, (3) quia *Apoc. 20. v. 12.* libri dicuntur aperiri, per quos plerique interpretum singulorum hominum conscientias intelligunt. Adeoque iudicium hoc voce interna videtur peractum iri. Verum B. Joh. Gerharde nostro cum aliis vero similior videtur affirmativa. Quamquam enim statuit vel maxime non omnia illis verbis, quæ in processu illo judiciali habentur, voce externa sint peragenda, quædam tamen à iudice prolaturæ iri verbis ab omnibus audiendis, quibus justos ad præmia vocet, injustos vero inferno adjudicet, autumat. Hoc autem inde probari posse putat, quia iudex hic non solum ut Deus, sed etiam ut homo iudicabit. Sicut ergo erit visibilis & conspicuus omnibus, ita quoque sententiam voce sensibili prolaturum esse probabile putat. Secundo quia iudicandi sistentur coram tribunali Christi non subiectione interiori tantum, sed situ etiam corporali exteriori. *Esa. 45. v. 23. Pbil. 2. v. 9. 10.* Ergo etiam non solum interius in conscientia, sed etiam exterius in certa verborum forma sententiam audituri videntur. Tertio, quia promulgatio hæc exterior definitivæ sententiæ ad majus gaudium bonorum, & majorem dolorem reprobatorum faciet, adeoque non frustraneam futuram esse existimat. Unde colligitur, caput 25. Matth. imprimis quoad posteriorem partem, non per omnia parabolice esse explicandum. Reliqua autem pro-

D

nega.

negativa sententia adducta argumenta nil aliud probant, quam non omnia voce externa examinatum iri, quod facile largitur. Interim pro indubia sententiam suam, quæ est de præsentis quæstione, non accipi, sed in hac & similibus observari vult illud D. Augustini *lib. 20. de Civit. Dei cap. 30.* Quo modo atque ordine iudicium illud sit futurum, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet ad perfectum consequi hominum intelligentia.

XXVIII. Finis extremi iudicii duplicis est generis, principalis & minus principalis. Principalis est Dei & iudicis visibilis, Salvatoris nostri Jesu Christi gloria 2. *Thess. 1. v. 10. Venit Deus glorificari in sanctis suis & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt in die illo.* Hic enim elucebit gloria Dei, cum ostendet suam veritatem in servandis promissis & comminationibus, in servandis iis quæ per Prophetas & Apostolos de extremo hoc iudicio dixerat. Hic elucebit gloria Dei, cum ostendet suam iustitiam, reddendo impiis prout meruerunt. Hic elucebit gloria Dei, cum ostendet gratiam ac benignitatem erga pios, quos ex mera gratia in æterna gaudia suscipiet. Hic in specie Christi gloria apparebit, qui manifestabit suam divinam Majestatem, manifestabit immensam suam sapientiam ac iustitiam in promulganda sententiæ definitiva, manifestabit summam potentiam in latæ sententiæ promptissima executione. Hic Christi gloria, qui à piis ad dexteram collocatis glorificabitur, glorificabitur nunc, glorificabitur in æternum. Minus vero principalis finis concernit cum pios tum impios. Respectu piorum est, ut per Christum Redemptorem partorum bonorum & in Evangelio propositorum participes reddantur, à malo liberentur & perfecto gaudio perfruantur *Rom 8. v. 23. Luc. 21. v. 28.* Respectu vero impiorum, ut de-  
bitas

bitas peccatorum poenas luanr atq; nunc experiantur, non fuisse de nihilo, quæ ex verbo divino audiverunt, neq; fallaces comminationes, quibus sapius à peccato fuerunt deterriti *Matt. 25, 41. 2. Tb. 1, 8. 9.*

XXIX. Adjuncta extremi judicii varii sunt generis. Alia enim sunt antecedentia, alia concomitantia, consequentia alia. Adjuncta antecedentia extremi judicii sunt res quædam, quæ quidem ad ipsum judicium in se non spectant, ipsum tamen sunt præcessuræ, & de eo testantur, qualia sunt signa adventum Christi demonstrantia. Hæc autem sunt duum generum, Communia sive generalia & propria sive specialia. Communia sunt, quæ in genere diem novissimum denunciant, ut sunt multiplicatio hæresum *Matt. 24. v. 24.* bella & gentium excidia, terræ motus, aquarum inundationes, Eclipses siderum, rara in terris fides *Luc. 18. v. 8.* supina hominum securitas, maxima piorum persecutio. Propria dicuntur, quæ judicii diem proxime adesse significant. Cujus generis esse dicuntur: Revelatio Anti-Christi *2. Thess. 2. v. 3.* Conversio Judæorum *Rom. 11. v. 25.* Notabilis Turcarum clades *Apo. 20. v. 8.* At vero fatendum est signa hæc in quo consistant, & qua ratione ex sacris literis intelligenda veniant, ne inter Nostrates quidem convenire, atque materiam hanc ampliolem requirere enodationem, quam præsens tractatio admittat. Nobis igitur ea hæc vice vel enumerasse saltem suffecerit.

XXX. Concomitantia judicii sunt ejusmodi adjuncta, quæ cum ipso judicio cohærent. Ex horum numero primo est *Tempus*, quo judicium peragendum. Hoc certum est eo die institutum iri, quo resurgent mortui. At vero de eo quæritur, quisnam futurus sit iste dies, quo resurrecturi sunt mortui? Sunt quidam eo progressi ut non annum aut memsem solum, verum etiam diem hic determinare fuerint ausi, quorum examinare sententias præsentis institutionis non permittit. Id sane S. Scriptura nos docet, voluisse Deum hunc diem latere, ut observentur omnes dies *Matt. 24. v. 36.* De die vero deque hora illa nemo novit, neque Angeli in cælis, sed solus Pater. Conf. *Marc. 13. v. 32.* Impium ergo est scrutari id, quod Deus nos latere voluit. *Act. 1. v. 7.* Non est vestrum nosse tempora & temporum articulos, quos Pater suæ potentia reservavit,

vit. Sufficiat igitur certos nos esse de iudicii certitudine, etiam si determinatum diem ignoremus.

XXXI. Secundo huc spectat locus, in quo iudicium instituetur. Vix vero certi quid hic determinari poterit, cum Scriptura fileat. Sunt, qui putant, locum hunc fore montem olivarum & vallem, quæ inter montem hunc & Hierosolymam media est, & quidem ea de causa, quia ex hoc loco Christus in cælos ascendit. Verum consequentia hæc plane vacillat, adeoque ipsa sententia, quæ ei superstructa fuit. Sunt, qui nominant, vallem Josaphat, quod ex *Joel. cap. 3. v. 2.* probare volunt, ubi dicit Dominus, se congregaturum omnes gentes & ducturum eos in vallem Josaphat, ubi iudicaturus sit eos. Intelligunt autem hi per vallem Josaphat, illam ipsam vallem inter montem olivarum & urbem Hierosolymam. Sed quomodo vallis hæc tot hominum myriadibus capiendis sufficiet? Locum Joelis, quod attinet, sciendum ibi non certum & determinatum, sed quemvis iudicii locum significari quod ex verbis patet. Verbum enim Josaphat compositum est ex *יָסוּף* quod significat DEUS iudicavit. Mentio igitur hoc loco sit loci iudicii in communi, nulla facta determinatione ad certum quempiam, qui quasi digito possit monstrari. Alii autem in ea sunt sententia CHRISTUM venientem ad iudicium in nubibus substitutum, ac versus Palaestinam ac Orientem iudicaturum. At vero fundamentum, quo nititur hæc sententia, est infirmum. Ut igitur dictum, ex Scriptura nil certi probari poterit.

XXXII. Consequentia iudicii extremi sunt ejusmodi adjuncta, quæ iudicium peractum excipient. Talia sunt piorum in patriam coelestem & æterna gaudia ingressus, impiorum in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non morietur, detrusio ac deturbatio, hujus universi & eorum, quæ in eo sunt conflagratio ac consummatio. Sed hæc alio spectant, nos itaque præsentis Disputationi de Extremo Iudicio finem imponimus. Faxit DEUS T. O. M. ut, quæ dicta sunt, non audiantur modo, sed in ipsius divini nominis gloriam vergant nostrumque omnium emolumentum! Hic igitur esto Terminus.

SOLI DEO GLORIA

2017









99 A 6960

2170





25  
27

DISPVATIO THEOLOGICA,  
DE  
EXTREMO IVDICIO,

GERMANICE:  
Vom Jüngsten Gerichte.

QVAM  
SVB PRÆSIDIO  
DN. FRIDEM. BECHMANNI,

S.S. THEOL. DOCTORIS EIVSDEMQUE IN INCLYTA  
SALANA PROFESSORIS PVBLICI,

DOMINI PRÆCEPTORIS, HOSPITIS ET PATRONI  
PIIS VOTIS PROSEQVENDI,

AD DIEM IVL. CIO IOCLXXX.


IN AVDITORIO THEOLOGICO,

PVBLICÆ VENTILATIONI SVBIICIET

AVTOR

PAVLVS BERGMAN,

VLZA LVNEBVVG.



I E N A E, RECUSA PER I. B. HELLERVM, 1731.